



eff. 59. 3.

DE PRIMOGENITO

20

AIR MAXIME REVERENDÆ  
EX IVRE HEBRÆO

DE

בָּכֹר פֶּתַח בְּתוּן לִי יְמִינֵךְ  
**PRIMOGENITO INTRA MENSEM**  
DENATO

Num. 18, 1

QVÆDAM DISSESTIT

ET

VIRO MAXIME REVERENDO AC AMPLISSIMO  
**DN. EPHRAIM BRESKOT**

SEREN. DVCI WÜRTEB. OLSN. BEROLSTADIENS.  
A CONCONIBVS ET CONFESS. S. CONSIST. ASSESS.  
REV. MINIST. SENIORI, ECCLESIAE ET SCHOLÆ  
APVD BEROLSTADIENSES ANTISTITI

GENERI OBITVM LVGENTI

LEVAMEN PRECATVR

IPSIQVE FILIVM

E VARIIS GERMANIAE ACADEMIIS REDUCEM u.

GRATVLATVR

**L. FRANCISCVS WOKENIVS, P.P.**

WITTENBERGÆ, LITERIS VIDVÆ GERDESIAE.

Gv. Mag  
fl. D. Wa

## VIR MAXIME - REVERENDE,

**L**itterarum commercium inter nos viguisse, ex quo tempore filius T<sup>v</sup>s, Paternarum virtutum æmulus, genuinus ille S. Theologiæ cultor, D<sup>n</sup>. DAVID BENIAMIN, e Collegiis meis Lipsiæ proficeret cœperit, non sine quadam animi jucunditate recordor: ideoque nec has publicas Te ægre laturum confido, quas quidem duplex, quam de Te rescio, fortunæ vicissitudo, a me postulavit. GENERI mors squalore & luctu, FILII vero, ex Academiis & erudito itinere reducis, adventus letitia, miro concursu, Te replent. Luculentum hoc est divinæ providentiae specimen, quem & aliis, & mihi, ita tristia lataque miscere solere, bene novi. Et hoc quidem ipso Te me longe feliciorem hac vice judico, qui sine aliquo latitiae fomento, filioli primogeniti præmatura morte afficior. Cum Tv in GENERI fato acerbo præsentissimum in redeunte F<sup>ilio</sup> habes solamen: ego rebus α) illud ἀνέχει τὸ πέχει το, quæ Deus imponit, & a luctu pius abstine, medicaminis loco adhibeo, mentemque ut eo melius a tristi avocem cura, libris me meis involvo, laborem non proletarium contra affectus remedium esse, forte non injuria ratus. Et eo ipso quidem

a) Cum hoc EPICTETI dicto, non male D<sup>n</sup>. BISCHOFF in Not. ad Cebetis tabulam p. m. 102. sq. Cebetem confert, cui συγέτεσσα & οὐπρεπία sunt forores; quod vero utrumque e Pythagoreo asserto, de tribus animæ partibus, deducendum sit, argumen- ta nulla video.

quidem tempore, quo variam hanc TVæ fortunæ vicissitudinem lego, ad analogam affectui meo materiam abducor, locumque aliquem Biblicum ex antiquitate Hebræa exponendum, cum antiquissimis Hebræorum juris tabulis confero. Communis nobis in SS. amor a me poscit, ut Tecum, si quid afferam boni, communicem; benevolentia autem TVA facilem mihi pollicetur veniam, si vel immatura, quæ festinanti se obtulerunt, sine mora scribam. Locus Biblicus, ad quem excutiendum præmatura filioi mei primogeniti, FRANCISCI, mors me adduxit, est de *filio primogenito redimendo*, Num. XVIII. 15. 16. Hic non solum omnimoda necessitas redemtionis a sacerdote, verbis : **אֶךְ פָּרָה תִּפְרֹחַ אֲתָּה כָּכָר חָרָב**, exprimitur, sed & tempus, quando actus illius redemtionis peragi debeat, vocibus **וְפָרוֹזֵי מִבְנֵי חֶרֶשׁ** indicatur. Multa, fateor, ex Hebrais hic antiquitatibus annotanda se offerunt, sed quæ paucis nequeunt absolvı lineis. Nil hic leges de quæstione, cum hoc textu alias connexa, *an per primogenitum bestiæ impuræ solius asini primogenitus intelligendus sit*, quod cum antiquioribus & R. ABARBANEL β) affirmat; nil de modis inquirendi, quis primogenitus in casibus dubiis, de quibus TALMUD γ) & R. MOSE BEN MAJEMON δ) in primis legitur: nil de precum ritibus, in redemtionis illo actu adhiberi solitis, quorum nonnullos legimus in ARBA TURIM. I.

A 2

RE

β) R. A B A R B. C. in legem h. l. ed. D. Bashusenii fol. 242.

y) TALMUD. BABYL. MASS. BECHOROTH fol. 48. sg.

8) R. M. B. MAJEMON in JAD CHASAKA, Hilc. Biccurredim  
c. XI. T. III. ed. Venet. f. 146. sq.

RE DEA ε) & in R. JOSEPH KARONIS BETH JOSEPH §). Nil etiam de aliis ritibus aut traditionibus afferam: nec PHILONIS η) rationes, quare hæc sit lex data, examinabo. Hoc potius, ad textum Biblicum recte intelligendum, haud im-  
merito queritur: an etiam redemptio primogeniti filii locum ha-  
beat, si primogenitus ille filius ante tempus, credemtioni in loco  
nostro destinatum, fuisset mortuus. Ad miraculosam aliquam  
Dei conservationem infantis per integrum illum mensem,  
ne ipsi quidem Judæi nos remittunt. Nec tamen in sacris  
hic casus legitur decisus. Quamvis vero Talmudistarum au-  
toritas per omnia non sit omni exceptione major; probabi-  
le tamen hoc in passu, est maxime, Mischnicos doctores  
non aliam, quam quæ ad ipsorum usque tempora, etiam  
post ultimum templi Hierosolymitani excidium, in quotidiano  
fere fuit usu, posteritati, &, si quis aliquando iterum ex-  
spectari posset, templi usui, transcribere voluisse consuetudinem.  
Hanc, ubi certiora non sunt, audiamus. De filio pri-  
mogenito demortuo hæc habet TALMUD annotata, quod ali-  
ter judicare debeamus, si a) ante 30. diem primogenitus fue-  
rit

ε) ARBA TURIM, P. II. s. JORE DEA, Hilc. בָּרְןָן בֶּן־בָּרְןָן f. 72. ed. Hanov.

§) R. JOSEPH KARO in BETH JOSEPH, Hilc. Pidyon Be-  
chor f. 261. ed. Cracov.

η) PHILO JUDÆUS de præmiis sacerd. OO. p. m. 831. scri-  
bit: Αλλ' ὅμως καὶ τέτων τέσσερις πρωτότοκος ἀρρένας, τρίτον αὐταρχῆς  
καθιερῶν χαριτήρια ἐντευνίας, καὶ ἐνυγονίας, δεσμὸς τέ καὶ ἐλπιζόμενος,  
καὶ ἄμα βελτέμενος, καὶ μόνον ἀμεμάτες ἔναι, ἀλλὰ καὶ σφόδρα τέσσερες γά-  
μοις ἐπανετέχει, εἰς ὃν ὁ περιών Βλασητας παρπός καθιερέτας,  
ὅπερ χρὴ λογιζομένες καὶ ἀνδρας καὶ γυνάκας, σωφροσύνης καὶ ὀικείας, καὶ  
μονονίας περιεχεσθαι συμπνεόντας δικήλοις, ἐν τέ ἕργῳ καὶ λόγῳ  
τὴν λεγομένην κανωνίαν αἱηθείᾳ παγίῳ βεβαιώθεται.

rit denatus, aliter b), si post diem 30. obierit, & demum c) aliter, si ipso 30mo die fuerit mortuus. Verba sunt: מהן בחור שלשים יומ אעפ' שנתן לכהן וחוור לאחר שלשים יומ אעפ' שלשה נתן יתר מת ביום שלשים כום שלפניו ר' אמר אם נתן לא יטול ואם לא נתן לא יתרן. i. e. Quod si filius (ille primogenitus redimendus) moritur intra 30 dies, licei (pretium redemtionis) dedisset Sacerdoti, restituat (sacerdos pretium datum). Quod si filius primogenitus obiit post 30m diem: quamvis Pater nondum solverit redemtionis pretium, solvat tamen. Quod si tandem primogenitus ille ipso 30mo die fuerit exsinctus: tunc est, acsi die precedente fuisset mortuus. Sed R. AKIBHA dicit, quod, si Pater λύτρου Sacerdoti dederit, non debeat iterum accipere; si autem nondum dederit, dare haud debeat. Simpliciter hic quidem filii sit mentio; materia tamen substrata hoc liquido probat, quod intelligatur primogenitus, & is quidem qui, & non, qui בכור לכהן dici solet <sup>i)</sup>, sive aliquando & de quo utrumque verum est <sup>ii)</sup>: quam diversitatem Talmudistae

A 3 h. I.

<sup>i)</sup> TALMUD. BABYL. MASS. BECHOROTH. c. 7. fol. 49. a. בכור לכהן & breviter exponit per <sup>i)</sup> Quid intelligent per בכור לכהן & נחלה in h. I. ed. Mischnic Amst. 1716. p. m. 218. b. Primogenitus hereditatis est, qui duplam accipit portionem hereditatis, primogenitus respectu sacerdotis est, pro quo ipse dari s. Selaim debent. Idem Glossa Ord. Talm. h. I. f. 40. a. habet.

<sup>ii)</sup> Primogenitus quidem, qui talis est, tum respectu hereditatis, tum redemptionis, in TRACT. BECHOROTH TAM. BAB. fol. 47. b. docetur quod sit, qui venit post abortum primum matris plane imperfectissimum: איזחו בכור לכהן ולכון המפלת ספר מלא מס מלא וס מלא גנין המפלת מכון רגס והנבים שקיים רמשים והmplת ליום אויביהם הבא אחריהם בכור לכהן ור' כהן

i. e.

h. l. late expendunt. Omnia hæc enotare non vacat. Sufficit, quod primogenitus debeat esse רְחִמָּה פֶּטֶר, s. talis, qui primum matris uterum rupit. Non itaque respectu Patris nominatur primogenitus, qui solvendus erat, licet in hæreditate juribus primogeniti frueretur λ), sed respectu matris, quæ antea nondum peperit μ), quamdiu minimum Israëlitæ

i. e. Quis est simul primogenitus respectu hereditatis & sacerdotis? Abortu part (Mater) cuicunq; solidam (sec. רְשִׁי b. l., s. fructum carnis, sec. R. BARTENORAM b. l.) quæ plena aquæ vel sanguinis est, vel plena vermium (sec. KAF VENAKI b. l. p. 229.): aut quando abortus habet figuram piscium, locustarum, abominationum, reptilium; aut si abortum statim post 40. dies patitur: qui post tales abortus nascitur, est primogenitus utroque illo respectu. Sed hæc Talmudica non sunt exclusive accipienda, sed datur tantum causus difficilis. Quisquis est רְחִמָּה, & nullo impediente defectu laborat, hue pertinet; non attendendo, an Patri jam sit alius e priori uxore primogenitus. Si enim דַּוְדֵי בְּנֵים וְנְשָׂא אֲשָׁה שָׁלָא וְלוֹרָה & uxorem ducit, quæ nondum peperit, primogenitus ex hac, est primogenitus, non quidem ad hæreditatem, sed ut redimatur, Talm. Bechoroth c. 8. M. 1. f. 46. a. Dilucide JOSEPH KARO in BETH JOSEPH T. II. fol. 260. b. מצורן עֲשָׂה עַל כָּל שָׂרָאֵל שִׁוּלֵר בֶּן שְׁהָוָה בְּכָרָב מְאֻמָּן כָּלּוּמָר רְכָבוֹר אַבְּנָת נְפָרָה וְלֹא בְּכָרָב וּבְפֶטֶר חַמְנָא. i. e. Praeceptum hoc affirmativum obligat omnem Israëlitam, cui nascitur filius: qui est primogenitus matris sue, b. e. qui respectu ad matrem habitu est primogenitus, redimitur, non vero, qui est Patri solum primogenitus, quia Deus misericors hoc praeceptum aligavit ad primo rumpentem uterum matris.

λ) Conf. TALM. BAB. l. jamjam cit. it. Jos. KARO. Talis & est a vidua procreatus, quem casum a Talmudistis videri non potuisse, miror.

μ) A matris primo partu primogeniti redemptionem suspensam esse, jam e JOSEPH KARONE audivimus. Sed abortum nondum perfectum non obstat, credunt in TALM. l. c.

ticæ religioni fuit addicta ν). Verbo, talis, qui, si vixisset,  
& si Pater neglexisset eum redimere, se ipsum redimere te-  
nebatur. Primogenitus istiusmodi, si, post exactos plane  
30. dies, quibus completis בָּן חֶרְשׁ, mensēm natus, demum  
dici poterat, decederet fato, Pater tamen redemtionis lega-  
lis premium dare tenebatur Sacerdoti: quæ res adeo liquida  
GEMARISTIS est visa, ut nil annotandum duxerint. Legi-  
timum enim ad redemtionem tempus præteriit, ubi tan-  
quam debitor respici debet. SECUNDVS in TALMYDE casus  
est, si primogenitus intra illos 30. dies moritur, in quibus  
nondum legitimum o) redimendi tempus aderat. Ibi nil sa-  
cer-

v) Præter uxores Sacerdotum & Levitarum h. l. in TALMV-  
DE excipitur uxor, quæ jam peperit עֲוֹרָה עַכְ'וָם adhuc gentilis ex-  
istens, antequam nempè proselyta fieret. Tenetur enim esse  
בָּכָר אִמְתָּה הַשְּׁרָאֵלִית primogenitus matris Israeliticæ, uti loquitur R.  
MOSE B. MAJEMON in Zad Chaf. Hile. Biccurim c. XI. §. 1. T. III.  
f. 146. b.

ו) Clare R. M. B. MAJEMON. l. c. עַבְרָה רָאֵב וְלֹא פָרוּחַ si Pater precepit transgressus fuerit &  
filium non redemerit, filius seipsum redimit, cum adolevit, Idem  
valet, si Pater intra mensis illius spatium fuerit forte mortuus. A-  
perte satis R. M. B. MAJEMON l. c. f. 147. a. מֵת רָאֵב בְּתוֹךְ לְ שָׁבְעָה רְאֵיהַ מְאֻבוֹ שְׁפָרוּחַ  
וּם חֶרְשׁ הַקְמָה בְּתוֹךְ שְׁלָא נְפָרָה שְׁרָאֵל קְרֻם שִׁימּוֹרָה Si pater intra 30. illos dies fuerit mortuus, in  
valore manet, quod non fuerit redemptus, donec adduxerit proba-  
tionem, quod Pater eum ante mortem redemerit. Eadem fere ver-  
ba & in TALM. BABYL. BECHOROTH. fol. 49. a. leges. Secus  
autem se res habet, si Pater post exactos dies, triginta dece-  
serit. Tunc enim TALMYD. l. c. decernit. לְאַחֲרֵי שְׁלָשִׁים וּמָה בְּתוֹךְ שְׁבָרָה עַד שִׁיאָמְרָה לו שְׁלָא נְפָרָה Si Pater nempe decesserit post 30.  
days illos, validum manet, quod fuerit redemptus, donec dixerint ad

cerdoti cedebat, imo si Pater antecipando Sacerdoti premium redemptionis dedisset, reddere Sacerdos tenebatur π), Ratio in promtu est. Tempus redemptionis illius Deus constituit mensem plene exactum. Qui vero ante tempus a Deo destinatum obierunt, nondum lege tenebantur. Tandem ad TERTIVM, eumque maxime dubium, accedimus casum, quid nempe juris sit, si primogenitus ille ipso tricesimo nativitatis die decesserit. Verba DOCTORIS MISCHNICI supra adduxi, quod nempe hic dies reputetur, quasi ante ipsum filius fuisset denatus. Nempe ante tricesimum diem, filio demortuo, Pater a dando pretio erat liber, quia nondum legitimum redemptionis, ante 30. diem, aderat tempus. Putant itaque, nec, tricesimo si moriatur filius die, nondum completo, effluxisse menstruum tempus. Eadem fere hac de re habet JALKVT SCHIMONI ρ), & clariora adhuc ARBA

T. v.

ad eum (filium) quod minime sit redemptus. Obscuriora sunt haec ultima & accipienda, non de cuiusque assertione non probata, sed de probata legaliter assertione. Hinc ultima paullo clarius eloqui volunt in Jore Dea f. 201. שׁוֹאָמְרוּ שָׁאוֹר בְּשַׁעַת הַמִּתְּהָרֵךְ שְׁלָא נְפָרֵךְ i.e. donec dixerint, quod (Pater) edixerit in hora mortis, quod non redemptus fuerit.

π) Palam hoc effatur R. MOSE BEN MAJEMON l.c. f. 247. וּמְקֻרּוֹם וְנַתֵּן יְחִזּוֹר לְכָהּ וְחִזּוֹר לֹא נַתֵּן i.e. Si Pater, (cujus filius intra prefixos 30. dies iterum decessit) terminum antevertit & dedit sacerdoti premium solutionis, (morte filii intercedente) sacerdos premium reddat, & se Pater λύτρον non dedit, nec dabit.

ρ) JALKVT SCHIMONI Parasch. Korach f. 232. col. 3. ed. Cracov. מֵת חֲכָן שֶׁלְשִׁים יוֹם אַעֲפָ שְׁנַת לְכָהּ יְחִזּוֹר Filio 30. die mortuo, si Pater premium solutionis jam dedit: Sacerdos ipsi quinque Selaim reddat. Subiectum inter alia deinde & verba R. DOMAI: פְּרוּז חֲכָן וּרְשָׁן חִיבָּן: מֵת בַּיּוֹם שֶׁלְשִׁים כַּיּוֹם לְפָנָיו

TVRIM σ). Sed R. AKIFA τ) peculiarem adhuc notat casum. Fieri nempe potuit, ut Pater, ratus, satis vivacem esse filium, ipso illo tricesimo die nondum exacto, pretium redemptionis sacerdoti solvat, postea tamen eo ipso adhuc die moriatur primogenitus ille. Hoc casu existente, arbitratur, quod Pater quidem nil recipere debeat. Sed recte hoc a R. MOSE B. MAIE MON refutatur ν), quia & alibi annus sexagesimus nondum exactus habeatur, quasi quinquagesimus nonus. Ratio & facile patet, quia & hic dies ad complendum mensem integrum requiritur. Hi quidem sunt casus in TALMUD totidem decisi verbis. Sed adhuc quædam incidere possunt dubia. Quid enim fieri debuit, si Pater decedens gravidam relinqueret uxorem, an ipsa filium primogenitum redimere debuit? Ad hoc dubium negative respondent, arbitrati, quod foemina ab hac lege sit soluta. Hac enim ratione arguit JOSEPH KARO in BETH JOSEPH Φ), Ma-

B

trem

σ) ARBA TVRIM P. II. JORE DEA Hilc. Biccurim fol. 261. a. אֵם מֵת אָפָלָן כִּיּוֹם ל' אֵין צַרְיךָ לְפָרוֹתָו וְאֵת קְבָלָה הַכְּהֻן הַמְעוֹת צַרְיךָ לְחַזּוּרָתָן i. e. Si filius mortuus fuerit die tricesimo, non necesse est, ut redimatur: Imo si Sacerdos jam accepit pretium, necesse est, ut illud ipsis reddat.

τ) TALMUD. l. c.

ν) R. MOSE B. MAJ. in Comm. Mischnico in b. l.

Φ) BETH JOSEPH P. II. f. 261. in Comm. col. 2. אֲשֶׁר אֵינה חַיָּכָךְ כְּפָרוֹן וְהַפְּשָׁוֹת וְכַתּוֹב כָּל בְּכָור בְּנֵר וְלֹא Foemina non est obligata ad hanc redemptionem, quia scribitur: omnis primogenitus filiorum tuorum, & non: filiarum tuarum.

trem ad redimendum filium non teneri. Habet hoc ex TALMVDE χ), ubi sollicitius hoc excutitur. Clare & plane & R. M. B. MAIEMON hac de re differit ψ). Filius igitur, ubi adolevit, se ipsum redimere debet; si vero antea moritur, redemptio cessat. Hæc potiora sunt, quæ ad nostrum locum paullo illustrandum faciunt. Ad alia non est animus excurrere. Facile quoque ex jam dictis ad alios colligere licet casus. Cui vero volupe est, plures, circa hæc, ritus nosse, is in locis citatis inveniet, quod quarit.

Hæc

χ) TALMVUD. BABYL. MASS. KIDDVSCHIN in Gemara fol. 49. a. כל מצות חכן חוטלות על האב לשורין Quod attinet ad omnia precepta, que Patri sunt imposita, ut ea præster filio, ad illa obligati sunt viri, liberatae vero sunt uxores. Et post quædam: כל שמצוות לפורה את עצמו מצווה לפורות את אחרים וכל שאנו מצווה לפורת את עצמו אינו מצווה לפורת i. e. Omni, cui præceptum est, ut se ipsum redimat, etiam injunctum est, ut alios redimat. Cuicunque vero non est injunctum, ut se ipsum redimat, ei etiam impositum non est, ut alios redimat. Tacite jam subsumunt: mulieres se redimere ipsas non debent, itaque nec filios.

ψ) MAJEMON in MISCHNE TORAH l. c. fol. 146. אין רשות בנה שחויב לפורת את בנה. שחויב לפורת את עצמו sed nixor non est obligatus, ut redimat filium suum. Nam qui obligatus est, ad se ipsum redimendum, is modo est obligatus, ad redimendum filium suum.

Hæc sunt, VIR MAX. REVERENDE, avocamenta illa, quibus ad doloris oblivionem deducebam affectum. Tu his & similibus non indiges. Ad manus est emplastrum, quod vulneri imponas. Grave est fateor, amisisti GENERVM dilectum, FILIA MQUE vides viduam. Lugent amici vices TVAS. Et ego fravissima appreco coeli solamina. Sed, quæ est divini Numinis in TE benignitas, tristibus his lœta statim interseruit. FILIVM, eumque unice dilectissimum, sanum ac sospitem domi excipis, quando Generum amisisti. Satis hoc quidem solaminis foret, si & cætera in DOMINO FILIO decora non adessent. Jam vero hic Tuus DAVID BENIAMIN, in quo senectutem Tuam revirescere deprehendis, post varia exantlata itinera, superataque pericula, non sanus modo, sed & variis eruditionis mercibus onustus, quasi ex bonarum artium mercatu, ad TE redit. Habes, quod in doto multisque doctorum & politorum hominum congressibus emendato Filio ames: habes, quo delecteris. Hic TIBI assidebit, & quæ in orbe eruditio nova & memorabilia observavit, non sine TVA voluptate recensebit. Videor mihi inter Vos versari, cum, quæ per litterarum, quod mecum frequentavit, commercium ab Eodem cognovi, recogito. Aperiet Tibi, quæ ex doctorum Virorum Collegiis fedulus in suos convertit usus: & quæ ex Celebriorum Doctorum privaris didicit colloquiis rariora, Tecum communicabit. Doctissimorum hominum characteres, caute a se observatos, studiorum pariter singularia, totamque vitæ rationem, solerter a SE investigatam, studiose TIBI delineabit. Curiose TIBI describet urbes, quas vidit plurimas, majores, & quicquid ex memoria dignis, quælibet suo cingit ambitu. Jam aularum, quas Regias & Ducales cernere IPSI datum fuit, pompam; jam instructissimarum Bibliothecarum arca-

na pandet : jam varias variorum locorum percensebit consuetudines. Quoties itaque recrudescere vult vulnus : toties ab Illo require, quid LIPSIENSES, JENENSES, HALENSES, HELMSTADIENSES, RINTHELENSES, CHILONIENSES, GIESSENSES, MARPVRGENSES, HEIDELBERGENSES, ARGENTINENSES, TVBINGENSES, ALTORPHINÆ, VIADRI-  
NÆ item, aliæque egerint, dixerint molitæque fuerint Musæ : & cum de iis quædam audiveris, WITTEBERGENSIVM etiam ne obliuiscaris. Et Academicis quidem rebus satiatus, ad majora in celebrioribus urbibus Ministeria deflectat sermo, redeatque, quasi per circulum, ad singulos, qui præ reliquis fulgent nominum celebritate, Viros. Satis superque aderit materiae differendi, & avocamentorum a doloris sensu habebis copiam. Servet tantum Deus Te, VIR MAX. REVERENDE, in seros usque annos incolumem ac vegetum, ut diu hoc Tuo frui possis bono: servet Dn. FILIVM ipsiusque studia felici donet brabeo. Vale mihi que favere  
perge. Wittenbergæ Saxonum d. XX. Sept.

MDCC XXVIII.



Fd 2082

ULB Halle  
004 222 318

3



86.

AC



B.I.G.

Farbkarte #13



DE PRIMOGENITO

AVI MAXIME - REVERENDE  
EX IVRE HEBRAEO

DE

בכור פת כתור ל ימי [ ]  
- PRIMOGENITO INTRA MENSEM  
DENATO

QVÆDAM DISSESTIT

ET

VIRO MAXIME REVERENDO AC AMPLISSIMO  
DN. EPHRAIM BRESKOT

SEREN. DVCI WÜRTENB. OLSN. BEROLSTADIENS  
A CONCONIEVS ET CONFESS. S. CONSIST. ASSESS.  
REV. MINIST. SENIORI, ECCLESIAE ET SCHOLÆ  
APVD BEROLSTADIENSES ANTISTITI

GENERI OBITVM LVGENTI  
LEVAMEN PRECATVR

IPSIQVE FILIVM  
E VARIIS GERMANIAE ACADEMIIS REDUCEM

GRATVLATVR

L. FRANCISCVS WOKENIVS, P.P.

WITTENBERGÆ, LITERIS VIDVÆ GERDESIAE.

Gr. Mag  
H. D. Wa